

8.15.6

*Imp. Theodosius et Valentinianus AA. ad Florentium pp.*

Si mater legitima liberorum tutela suscepta ad secundas contra sacramentum praestitum adspiraverit nuptias, antequam ei tutorem alium fecerit ordinari eique quod debetur ex ratione tutelae gestae persolverit, mariti quoque eius praeteritae tutelae ratiociniis bona iure pignoris tenebuntur obnoxia.

*D. VI id. Iul. Constantinopoli Theodosio A. XVII et Festo consss.* [a. 439]

8.15.7

*Imp. Iustinianus A. Iohanni pp.*

Sancimus de inventis a conductore rebus et illatis, quae domino pro pensionibus tacite obligantur, non solum in utraque Roma et territorio earum hoc ius locum habere, sed etiam in nostris provinciis. Tali enim iusta praesumptione etiam omnes nostros provinciales perpetiri desideramus.

*D. XV k. Nov. post consulatum Lampadii et Orestis vv. cc. anno secundo.* [a. 532]